

De somnio veridico

[da Valerio Massimo]

Duo familiares Arcades iter unā facientes Megāram venerunt: ibi alter ad hospitem contendit¹, alter in tabernam meritoriam² devertit³. Is qui in hospitio erat, in somnis vidit comitem suum orantem ut sibi cauponis⁴ insidiis circumvento subveniret⁵ et celeri adkursu imminenti periculo subtraheret. Repente e somno excitatus prosiluit tabernamque petere primum recte iudicavit; malefico deinde fato humanum propositum tamquam supervacuum⁶ damnavit et lectum ac somnum repetivit. Tunc amicus per quietem⁷ iterum apparuit et obsecravit⁸ ut, cum vitae suae subvenire neglexisset, neci saltem ultionem⁹ non negaret. Nam corpus eius a caupone trucidatum tum plaustro¹⁰ vehebatur ad portam urbis stercore opertum. Tam adsiduis familiaris precibus compulsus, amicus protinus ad portam cucurrit et plastrum, ut in somnis demonstratum erat, comprehendit cauponemque ad iudices perduxit, qui eum capitali supplicio puniverunt.

(Anna Bongiorno)

¹ Contendo, is, i, ere = propero, as, avi, atum, are

² Taberna meritoria = locanda

³ Deverto, is, verti, versum, ere = indica il dirigersi da un'altra parte, ma anche andare ad alloggiare (cfr. deversorium)

⁴ Caupo, onis = qui tabernam meritoriam possidet et reget

⁵ Subvenio, is, ivi, itum, ire = auxilio venire, opem ferre

⁶ Supervacuum, a, um = omnino vacuus, non dignus fide

⁷ Per quietem = in somnis

⁸ Obsecro, as, avi, atum, are = suppliciter orare

⁹ Ultio, onis = > ulcisor, eris, ultus sum, ulcisci; ultor, oris

¹⁰ Plastrum, i = carro, carretto